

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Ascensio o
cum fonte primo

Oportet, fratres karissimi, ut illuc sequamur corde
ubi Christum credimus corpore ascendisse.

Et si adhuc hic tenemur infirmitate corporis, ←

sequamur tamen eum passibus amoris

quia is qui placidus ascendit, terribilis redibit.
Gregorius in omelia.

Vnde,
fratres carissimi, oportet ut illuc sequamur corde,
ubi eum corpore ascendisse credimus.

Desideria terrena fugiamus,
nihil nos iam delectet in infimis,
qui Patrem habemus in caelis.

Et hoc nobis magnopere perpendendum,
quia is qui placidus ascendit terribilis redit,
et quidquid nobis cum mansuetudine praecepit,
hoc a nobis cum districtione exegit.

Nemo ergo indulta paenitentiae tempora
paruipendat, nemo curam sui, dum ualet,
agere negligat, quia Redemptor noster tanto
tunc in iudicium districtior ueniet, quanto nobis
ante iudicium magnam patientiam praerogauit.

Haec itaque uobiscum, fratres, agite,
haec in mente sedula cogitatione uersate.

Quamuis adhuc rerum perturbationibus animus
fluctuet, iam tamen spei uestrae ancoram
in aeternam patriam figite,
intentionem mentis in uera luce solidate.

Ecce ad caelum ascendisse Dominum audiuius.

Hoc ergo seruemus in meditatione quod credimus.

→ Et si adhuc hic tenemur infirmitate corporis,
sequamur tamen eum passibus amoris.

Gregorius Magnus, *Homiliae in euangelia*, 2.29.11
(CCSL 141, R. Étaix ed., p.254, ll.252-253).